

d. fideicom. famil. Nobil. c. 10. n. 116. ita ut sepulcrum sit locus sepulturæ. *l. 3. §. 2. ff. d. sepul. viol.* jus sepulcrorum autem jus illud, quod quis acquirit in sepulcrò, quod in suo locò ædificavit, ut possint ibi ipse atque heredes sui, agnati & ceteri, quos ipse voluerit, sepeliri, omnesque alios, tali jure non gaudentes, in eodem sepulcrò sepelire volentes, prohibere. *l. 13. C. d. religios. l. 5. & seq. ff. eod.* Jus inferendi mortuum in sepulcrum est, quod quis acquisivit à Domino fundi, in quò sepulcrum factum fuit, vel ab ejus herede, ut seipsum vel alios in eò sepelire possit; quod in eò differt à jure sepulcrorum, in quò jus directum ab utili, sive proprietate ab usufructu. Nos h. l. considerabimus jura, quæ circa sepulcra observari solent.

27 Et describimus sepulcrum cum Ulpianò *in l. 2. §. 5. ff. d. relig.* quod sit locus (*concarvus*) in quò corpus osque hominis (*defuncti*) condita sunt. Enodatio hujus descriptionis *ex capp. seqq.* constabit.

CAPUT II.

De Sepulcrorum Divisionibus

CONSPECTUS.

Sepulcra dividuntur in familiaria & hereditaria. 1. Familiaria quæ? *cod.* Hereditaria, quæ? 2. Jus sepulcrorum uni ex heredibus in solidam assignari nequit. 3. Extraneus alienis in sepulcris aliquem sepeliens utili actione de mortuò non inferendo conveniri potest. 4. idem Jus obtinet in arcibus s. fornibus. 5. jure *Can.* quilibet sepeliendus in locò, ubi sunt sepulti majores de lineâ masculinâ 6. Conjux juxta conjugem & filius juxta patrem sepeliri potest. 7. Sepulcrorum alia sunt in locò Ecclesiastico. 8. alia in locò ab aliorum sepulcris separatò. 9. sepultura absque ceremoniis peragi potest, inhonesta tamen non est. 10. alia sunt in locò inhonesto & infami. 11. ad sepulturam caninam & inhonestam sine causæ cognitione non deveniendū. 12. Alia sepulcra sunt Nobilium alia Plebejorum 13. Imperatores Reges & Principes peculiariter habent sepulcra & ubi. 14. idem discrimen & olim observatum fuit. 15. 16.

Divi-